

Universitätsbibliothek Wuppertal

Kleine Texte zum Alexanderroman

Pfister, Friedrich

Heidelberg, 1910

I. Commonitorium Palladii

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-2947](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-2947)

I.

Commonitorium Palladii.

Incipit Commonitorium Palladii.

f. 219 b.

I. [Ps.-Kall. III, 7.] Mens tua, quae semper amat discere 210 K.
 et semper est accensa in amore sapientiae, etiam iniunxit
 nobis, ut alium laborem facere deberemus, hoc est, quo-
 modo vivit gens Bragmanorum et qualem consuetudinem
 habet. Ego quidem neque illam gentem neque patriam
 illius vidi. Multum enim longe est illa terra non solum
 ab India sed etiam ab ea regione, quam Sericium nomi-
 nant, attamen iuxta fluvium Gangen. Perrexi autem ante
 10 aliquos annos usque ad finem Indiae cum Musaeo episcopo
 Dulenorum¹, et ibi cum stare non potuissem propter nimium
 solis ardorem, eo quod talis ardor solis ibi erat, ut etiam
 viderem aquam bullire in vasculis, quae implebantur ex
 fontibus, statim redii in meam terram, quia tantum in-
 cendium sustinere non poteram.

Hic autem fluvius, qui Ganges dicitur, ille est, quem
 sancta scriptura [I. Mos. 2, 11] Fyson² nominat, unus de
 illis quattuor fluminibus, quae de Paradiso exeunt. Hoc
 autem dicit historia Alexandri, imperatoris Macedonum.
 20 Quamvis dicat idem Alexander de vita et moribus Brag-
 manorum, tamen ipsum Gangen fluvium, ubi illi habitant, f. 220 a. 211 K.
 non transivit; tantummodo enim usque ad illam regionem
 fuit, quae Seritia dicitur, ubi et ipsum sericum³ nascitur,
 et ibi fecit ponere marmoream columnam et scripsit in
 ea hunc versum: Ego Alexander huc usque perveni.

Ego tamen de ipsis Bragmanis potui aliquid cognoscere,
 quod mihi narravit quidam Thebeus scolasticus, qui propter

¹ Ἀδουλιγῶν Ps.-Kall. A.; Ἀδουλιγῶν richtig Müller; Ἀδουλιγῶν
 Bissaeus; Dulenorum Bernhardy. — ² Φεισῶν Ps.-Kall. A.; Fison
 Bernhardy; Phison Ambrosius. — ³ sericum cod.; Sericium Kübler;
 sericum Bernhardy; τὸ μέταξον Ps.-Kall. A.

hanc causam voluntate sua illic peregrinari voluit. Hic ergo, ut ipse dicebat, cum desideraret scire patriam Indorum, cum quibusdam senioribus illic navigavit; et primum venit ad loca Dulenorum et postea venit ad loca Sumitarum.¹ Dicebat autem isdem Thebeus, ut esset ibi regulus Indorum parvus, et cum esset ibi praedictus Thebeus per multum tempus, voluit etiam pergere ad illam insulam, quae Taprobane dicitur, in qua illi habitant, quibus est nomen Beatorum.² Qui vivunt per centum quinquaginta annos propter aërem bene temperatum et domini voluntatem. In hac itaque insula erat rex maximus, cui omnes alii reguli erant subiecti, et illos regulos vocavit ille rex maximus praefectos, sicut praedictus Thebeus nobis dixit; nam et ille ab aliis hoc audivit, quia et ille in predictam insulam non introivit. Sunt autem mille aliae insulae in rubro mari, quae sunt subditae ad istam praedictam insulam, in quibus sunt illi lapides, quos magnetes nominamus, qui trahunt ad se ferrum. Etiam si qualiscumque navis advenerit, quae habuerit de ferro clavum, statim apprehendent eam et non dimittunt eam. Habitatores autem de illis insulis quando faciunt naves, non ibi mittunt clavos ferreos, sed tantum clavos ligneos et semper cum illis vadunt ad illam insulam, ubi habitat ille rex magnus.

II. [Ps.-Kall. III, 8]. In iam dicta insula Taprobane sunt quinque maxima flumina, et sicut Thebeus nobis dicebat, nullo tempore ibi poma minuuntur; in una enim arbore dum unus ramus in flore est, et alter ramus prope est ad maturitatem, alius iam matura poma habet. Sunt autem in eadem insula dactali³ et nuces grandissimae et corili, id est avellanae. Vivunt autem habitatores ipsius terre de pomis et de lacte vestimenta quoque non habent nec

f. 220 b. de lana nec de lino, sed tantum pelles pecorum sibi vestiuntur. Pecora vero ipsius terrae non habent lanam, sed pilos⁴ et setas; lac multum habent et habent caudas latas, et habitatores illius insulae manducant carnes caprarum et pecorum. A Thebaida enim usque ad regiones Indiae

¹ Ἀδξίτην Ps.-Kall. A; Ἀδξούτην Müller; Axumitarum Bernhardy. — ² Μακρόβιοι Ps.-Kall. A; Beatorum Bernhardy, Ambrosius (= μακάριοι). — ³ φοίνικας Ps.-Kall. A; dactylos Bernhardy, Ambrosius. — ⁴ pilosos cod.; pilos verb. Kübler.

et Ethiopiae homines non possunt habitare propter nimium ardorem solis. Praedictus itaque Thebeus dicebat nobis, quod vidisset homines de India, qui fuerant cum navibus in eisdem partibus propter negotium, cum quibus et ego ipse in navibus volui ire usque ad fines illarum insularum, et perrexi usque ad Vessadas¹ fines, ubi piper nascitur et colligitur. Gens autem illa, quae in eadem terra habitat, parvam staturam habet et sine aliqua utilitate est et semper colligit piper cum ramusculis suis.

- 10 Arbores vero, quae piper mittunt, parvas stirpes habent. Homunculi autem, qui hoc colligunt, sunt subtiles et habent maiora capita et planos capillos; populi vero Ethiopiae et Indiae capillos crispas habent. Dicebat vero et isdem Thebeus, quod in eodem loco ille, qui fortior erat, me apprehendere fecit. Ceperunt primum homines mihi calumniari et mecum causare, quare ego ausus fuissem in patriam eorum intrare et terram eorum² contingere. Ego autem cum dulcibus verbis volebam me excusare et defendere, ut de manibus illorum me liberare potuissem;
- 20 et neque illi me intellegebant, neque ego illos intelligebam, quia nec illi linguam meam neque ego illorum intelligebam, sed tantum ex solis vultibus nos intelligebamus. Ego intelligebam, quod essent irati contra me, quia cum tortis oculis me conspiciebant, et illi poterant me intellegere, quia hoc, quod dicebam, cum timore et tremore dicebam; sed illi nullam misericordiam mecum fecerunt, sed statim me comprehenderunt et per sex annos iusserunt mihi, ut servirem in pistrino. Expensum autem rex ipsorum non habebat in toto suo palatio, nisi tantum unum modium de
- 30 grano. Post sex autem annos cepi aliquid discere de lingua eorum et cognoscere loca illius terre. Sed de captivitate mea hoc modo liberatus sum. Rex autem cum supradicto rege litem habebat et accusavit eum ad illum regem maiorem, qui habitabat in insula Taprobane, ut apprehendisset nobilem hominem et Romanum et misisset eum in suo servitio ad faciendum opus de pistrino. Quod f. 221 a. cum audisset ille rex magnus, statim misit suum fidelem, qui cognosceret, si hoc verum esset annon. Qui cum

¹ Βισάδας Ps.-Kall. A; Bessadas Bernhardy. — ² intrare — eorum fehlt bei Kübler.

venisset et me vidisset in tali servitio positum, statim nunciavit regi omnia, sicut viderat. Quod cum audisset rex, precepit illum regem, qui me in servitium miserat, vivum discoriare eo, quod hominem Romanum ausus fuisset in servitium mittere. Sic autem illi dicunt, ut debeat honorari Romanus imperator atque timeri, quia si voluisset imperator Romanus, potuisset illos iactare de suo regno.

III. [Ps.-Kall. III, 9.] Isdem vero Thebeus dicebat nobis de gente Bragmanorum, quod non sua voluntate dimitteret 10
213 K. honorem seculi sed iudicio dei. Naturaliter enim nudi vivunt in patria sua prope ripam iam dicti fluminis; nulla quadrupedia habent, nullos fructus de terra, nullum gladium de ferro; habent aërem bene temperatum; colunt semper deum, quamvis bene scire eum non possunt neque divinitatem eius discere; semper et assidue orant, et quando orant, non tenent faciem contra orientem, set sursum ad celum. Manducant autem, quaecumque invenire potuerint, sive folia arborum sive olera silvatica, quemadmodum pecora. Est etiam apud illos illud lignum, quod pirsinum¹ et acantinum dicitur. Habent et alias arbores, quas ego nescio, de quarum fructibus semper manducant. Masculi habitant de illa parte Gangis² fluminis in partibus Oceani maris. Feminae vero habitant de ista parte fluminis iuxta partes Indiae et omni anno mense Julio et Augusto mariti sui navigant praedictum fluvium et pergunt ad eas. Isti enim menses apud illos sunt frigidi, eo quod illo tempore sol venit ad nos, et hoc tempore temperatum est tempus apud illos et dicunt, quod sit aptum tempus ad inpregnandum mulieres suas. Cum 30
vero fuerint per quadraginta dies cum mulieribus suis, statim redeunt ad loca sua. Cum autem fuerit pregnata mulier alicuius viri duabus vicibus et fecerit unum filium et iterum fecerit alterum, iam maritus eius ad eam non transit neque concumbit cum ea. Si autem quisquam habuerit uxorem sterilem, transit ad eam per quinque annos et concumbit cum ea, et si per quinque annos non
f. 221 b. fuerit inpregnata, statim dimittet eam propter hanc causam.

¹ περσινόν oder περσοβόν Ps.-Kall. A; Περσεινόν Bissaeus; fehlt in Bernhardys Version. — ² Ganges cod.

Non est multa gens Bragmanorum. Et ista est vita et consuetudo illius.

IV. [Ps.-Kall. III, 10.] Quando autem transeunt praedictum fluvium, cum magna angustia et cum magno timore transeunt illum, eo quod dicunt, ut sit in eodem fluvio tale animal, quod sic magnum sit, ut totum elefantum possit deglutire. Tamen eo tempore, quando illi varicant, non apparet in eodem fluvio. Sunt autem et ibi maximi dracones, qui habent in longitudine sexaginta cubitos, unde
10 et ego unam pellem vidi, quae habebat in longitudine duos pedes. Sunt et ibi formicae sic grandes, quomodo una manus hominis, ibique sunt tales scorpiones, qualis est unus cubitus, et propter istas bestias timent illi varicare praedictum fluvium. Non tamen in omni loco iste bestiae nascuntur, sed tantum in illis partibus, ubi homines non habitant multi; namque elefanti illic dicuntur esse.

Haec igitur narrat istoria Adriani¹, quam ego legeram. Et tibi in hac epistola mandavi. Illius Adriani istoria haec narrat, qui fuit discipulus Pitti.² Qui cum esset de
20 genere servili, propter magnam sapientiam, quam habuit, 214 K. ad maximum pervenit honorem temporibus Neronis imperatoris, qui Petrum crucifigere et Paulum decollari fecit.

¹ Ἀρίου Ps.-Kall. A; Ἀρριανῶς richtig Müller; Ἀδριανῶς Bissaeus; Arriani Bernhardy. — ² Ἐπικλήτου Ps.-Kall. A; fehlt bei Bissaeus; Epyacti Bernhardy.